B. N. C
FIRENZE
1060
25

Harv 1060.25

Digitized by Google

IX
LAGE
1867

PARENTALIA.

MEMORIÆ. HONORIBUSQVE. POSTHUMIS,

SUMMI. HEROIS.

ET.

ASSERTORIS. LITERARUM.

CASPARIS. BARTHI.

S.R. IMP. EQVITIS.

POST. ANNUUM. A MORTE. SPATIUM.

VOLENTIBUS. ET. CONSENTIENTIBUS.
ACADEMIÆ. PROCERIBUS.

HABITA. PUBLICE. ORATIONE.

POSTLIMINIO. INSTITUTA.

A.

MATTHÆO. von der LAGE.
JEVERA. FRISIO.

LIPSIÆ.
LITERIS. CHRISTIANI. MICHAELIS.
Anno M. DC. LXI.

Felici
in patrium
ac in cathedram
nunc accepto
Paulum
Die XXI Martii
Benedicti
Anno
MDCLXVI.

Lubo. 25

Benivolo Lectori
Salutem dicit
MATTHÆUS von der LAGE/
J. U. L.

QVæ olim in honorem magni Mœcenatis mei dixi publicè, ea non planè abdere tenebris post amicorum aliqvot flagitationes visum est. Dedi meritò, qvæ vides, magni Viri meritis: cujus ut viganti famæ circumdarem pauca, amor fecit & studium debitæ gratitudinis. Have Lector, & propter tanti Viri manes ne sperne.

Heroas ne crede mori; nam vivida fama
Vindicat à stygiis pectora diva locis.
BARTHIADEN LAGIUS post fata suprema recantat:
Dignos Laude Viros laus aliena juvat.

Augustus Buchnerus.

DECANUS
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
LECTURIS SALUTEM.

MOrtem Omnibus Natura æqualem, oblivione apud posteros vel gloria distingvi, Othonis apud Tacitum sententia est. Digna vox Heroe, si vitaqvoqve ejus postremo facinori respondisset: qvod ab ingente profectum animo videri poterat; nisi scelerum conscientia maceratum spiritum odisset potius, qvàm contempsisset. Invitus nemo debet vivere, nisi qvem dedecorum suorum pœnitet: nec mori cum gemitu aut indignatione qvisqvam, cui ratio annorum constat benè impensorum. Nescientes hanc lucem ingredimur, nec qvid, nec qvare, cogitantes. Ubi ætas roborata est, persona cuiqve sua imponitur: qvam seu benè, seu malè geras, nihil refert; abeundum ex hâc scenâ, & aliò migrandum. Inde à DEO aut pœna aut præmium: apud posteros laus, aut infamia. Utrinqve spes & metus, cavere jubens, ne qvid impium, ne qvid probrosum admittas. Et DEO qvidem placabilis ac remissa offensarum memoria, si doleas, si pœnitentiam agas delictorum, Hominibus pertinacior, ut & cum emendaveris culpam, meminerint commissi & subindè recordentur. Historiam consule, si dubitas, seculorum omnium testem. Ubiq; reperies, & qvorum adhuc cineres & ossa fruantur posthuma laude, & qvorum vel memoria omnis, atqve nomen invisum est. Semel Trajanus vixit, & orbi suo benè præfuit: nunqvam ejus gloria intercidet. Semel Nero malum Imperatorem egit, id est suo tempore, nec ultrà sæviit: æternùm pessimus atq; intestabilis audiet. Ita de illis

Lib. I. Histor.

lis modò nos judicamus: alii olim de nobis idē dicent. Nec refert plerosq; à magna Fortunâ remotos esse, qvam acrio ut plurimùm Fama intendit. Cum his etiam mitius quandoq;; nobiscum invidiosiùs agit. Multa in iis excusantur, leniuntur, silentur: nos qvicqvid meliùs pejusvé agimus, id egisse unum dicimur. Ut ingentis sit felicitatis qvædam summa, & vixisse benè inculpateq;, & sui aliquid posteris reliquisse, quod in vita nos retineat, etiam evitatos. Et qvanqvam morū integritas atq; innocentia qvemvis ab interitu vindicant; illi tamen maximè immortales sunt, qui & sibi & aliis vixerunt. Cumq; nihil non nobilitet defunctos, quod egregiè præclareq; gestum sit, ingeniorum gloria potissima est. Illi enim certi demum esse possunt, nulli se oblivioni obnoxios fore, qvi pangere aliquid immortale conati sunt. Ora animiq; Hominū infideles sunt, morte in bonos malosqve æqvè sæva. Soli Libri, chartæq; ut Eruditionis & Doctrinæ monumenta æris instar perennant. Eos enim putas mori penitùs & exterminari memoria posse, de qvibus cum Seneca possis dicere: *foreut vigeant cum maximis viris qvamdiu fuerit ullus literis honor, qvam diu steterit aut Latina lingua potentia aut Græca gratia?* In quorum censu cū meritò etiam annumerandus sit, Academiæ nostræ clarissimū qvondam & insigne lumen, CASPAR BARTHIUS, S A C. ROM. IMP. EQVES, Polyhistor & Criticus incomparabilis: næ simus in jurii ingratiq; ergà tanti Viri Manes, si non gloriam ejus qvoqvo modo alamus atq; augeamus. Qvāobrem, cum obtulerit se nobis Juvenis Eruditissimus MATTHÆUS von der Lage/ Superstitis olim Cultor assiduus, & ingentiū beneficiorum vicem, elapso his diebus à morte ejus annuo spatio, postliminiò illi parentandi locū à Nobis petierit, & annuimus volentes, & plenissimum consensus nostri robur laudabili petito accommodavimus. MAGNIFICUM itaq; DN. RECTOREM, ut & omnium Facultatum Professores, Doctores, & Magistros, nec non politissimos qvosqve Studiosos, humanissimè invitatos volumus, ut ad diem XXI. Septembris, post finitam concionem hora locoqve solennibus, si fas & pote, per majoris momenti occupationes splendidam gratamqve suam præsentiam Nobis exhibeant, & qvæ de tanti Viri laudibus dicenda veniunt, benevoli audiant: Officia vicissim & studia nostra singulis promittimus atqve spondemus. P. P. d. XVIII. Sept. Anno M. DC. LIX.

Consolat. ad Polybium.

Magni-

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR
PROCERES AMPLISSIMI.

DOloris aut gaudii non uno die obliviſci, humanarum mentium ritus eſt. Utriusqve veſtigia qvædam memoriæ inprimimus; in qvæ ſeu incidat fortuito animus, ſeu ſponte redeat, priſtinæ ſortis novo qvodam ſenſu percellitur. Vocem enim premere, & imperio coërcere affectus quodammodo didicimus: Lacrymis qvoqve & gemitu abſtinere, ex qvo decens ac virile habitum, calamitas paulatim noſtra aſſvevit. Præteritorum verò abolere penitus conſcientiam & præſentibus tantùm moderari ſine fluctibus & turbis animi nemo unqvam adeò potuit. Ancipiti qvidem eventu: cùm præſentem fortunam diverſa olim facies rerũ affligat ſæpè æqvè, ac ſoletur. Nam qvos Fati ſui turbo jactavit diu, & circumtulit, ſi ſtatione qvadam placida compoſiti fuerint, juvat maximè qvies inſveta, & beatior eò, qvò rarior. At tenellos & delicatulos ſi immite aliqvod ſidus afflaverit, nihil magis proſternit, qvàm recordatio priſtinæ felicitatis: in qvam ita intenti defixiqve reſpiciunt, tanqvam in alium orbem venerint, meris cum monſtris dimicaturi. Sed privatam qvidem fortunam intra Lares contineri verum eſt, & argumenta utriusq; illius ſortis arceri ab apertæ lucis conſpectu, ne lacrumæ unius aut lætitia immodica colorem univerſis præpoſterum inducant. Publicum verò ſtatum cuivis in ſe derivare liceat; & dolorem aut gaudium modeſtè profiteri. Plauſum in triumphis edere, & acclamare victoribus feliciter, ſolenne ſemper & decorum fuit: nec in funeribus Civitatum, aut fatalibus urbium excidiis libertas dolendi vulgo adempta eſt. Qvo dum jure & ipſe perfruor, & in publico privatus loqui audeo, vellem equidem, gratulandum haberem Academiæ huic noſtræ, aut de novo aliquo lumine, aut decore inſigni, aut, quæ

abunde ſuppetit, parta hactenus laude. Nunc obducta refrico vulnera, & luctum vix bene conſepultum denuo in animis omnium excito: Si deplorari unqvam ſatis poteſt, qvod nec amitti debuit, nec inſtaurandi facultatem illam reliqvit. Hodie enim aut heri annum complevimus, ex qvo magnus ille princeps literarum, CASPAR BARTHIUS, vel abiit à Nobis ipſe, humanarũ rerum pertæſus; vel invidia Fatorum ſubreptus eſt. Ita enim cenſendum, nec invitum mori Heroëm poſſe; nec vitæ diuturnitate publicis unqvam votis reſpondere: cum optima qvæqve velociſsimè intercidant. Sublimes generoſæqve Animæ precariò ſe mortalitati commodant, non deſideriis cujusvis, ſed emolumento & commodis patriæ ævi ſui ſpatium metientes. Et tum diu ſe vixiſſe putant, cùm benè vixerint: mori feliciter & abſcedere, ſi nihil totâ vitâ aut omiſsum occurrat aut pœnitendum. Superſtites verò ſi juxta inſpicias, & quos non eadem naturæ felicitas reſpexit, intelligimus demum, quam fallax & auguſtum ſit hujus vitæ iter. Qvod cum tot obices morentur, tot pericula obſidant, voto tamen citiùs noſtro ad finem decurrunt, qvos in prolixiores longè annos nobis promiſimus. Tangendum enim ulcus, & obviandum dolori manifeſto. Intelligimus, intelligimus, nimis heu! prudentes, qvàm immaturè à nobis abieris CASPAR BARTHI. Vixiſti ſanè Tibi, & decidit tecum Natura, qvæ annos dedit gloriæ tuæ reſpondentes. At nobis citò nimis ſubreptus es; quibus cum illa lis ingens & diſsidium, qvod noſtram qvoqve pacem compellare nullius penſi habuit. Vivis & nunc qvidem, atque in piorum illo mundo triumphas ſplendidiſsimus municeps: noſtrâ verò intererat ſerius eò te migrare, quò animum pridem & cogitationes intenderas. Dignus, qvi exemptus his ſordibus, loca incoleres pura & innocentia: modo cœleſtis tui animi conſortio, nos ipſi carere potuiſsemus. Sprevit itaque humilitatem noſtram dignitas tua, & poſtliminiò nunc quaſi objurgat, qvod virtutibus tuis impares nos præſtiterimus, Ignoſcite Manes

nes Sanctiſsimi. Fatemur, inqvam, & ſi veniam dare vultis, deprecamur. Mortalitatis ingenium nostis, nec æstimans satis præsentia, nec modicè lugens ea, qvorum nulla imposterum copia relicta est. Ut sciatis minus nobis indignandum esse, si gravior vobis hic luctus noster acciderit. Ecce enim in dolore nostro nihil mediocre! Senatum ipsum & Proceres Literatorum; non pullatos quidem atratosqve (nonnullorum ea ambitio est) sed funestum aliquid & lugubre ipsis animis vultibusqve præferentes. Salvete illustres Animæ, qvæ dum lugetis virtutum & doctrinarum interitum, declaratis maximè, qvem vobis honorem debeamus, superis adhuc & voto nostro expositis. Ita nemo se magis doctum aut gloria dignum ostendit, qvàm qvi exempla eruditionis pretio suo æstimat. Sic itaque vivatis diu, ut tam illustris viri obitus tristis vobis atq; acerbus visus est. Sic eruditi celebresqve audiatis, ut ejusdem vobis merita & honor famæ curæ, cordiqve semper fuerunt. Ita cineres olim vestri, cum & ipsi fraudare nos volueritis optimâ vestri parte, gratis laudibus mactentur & æterni nominis fructu gaudeant, ut minùs hîc adestis inviti, & hominem dicendi imperitum patienter auscultatis. Pietas in defunctum, dolorque, etsi non recens & crudus, minimè tamen adhuc sopitus impulerunt. Utriq; sua vis & proprius quidam impetus, ut nec silere de iis posſimus, quos amavimus, nec non ambitiosè illum venditare. Qvanqvam noster luctus adeò pompa non indiget, ut sua qvasi voce clamet ipse, capitalem esse & singularem. Qvem qvo inspicimus magis & de momentis suis interrogamus, eò à consultantibus & ambigentibus majora capit incrementa. Habuimus BARTHIUM, habuimus; & quanquam diu nobis licuit intueri cum voluptate sanctisſimum caput, prolixior jam mora videtur, ex qvo eodem carnimus. Tam infida & lubrica omnis fortuna est; dum spes primas accendit, dum votis sese offert præsentem, dum eadem satiat cupida atqve intenta, propripuit sese clanculum, atqve evanuit. Hinc macerari animus pœnitudine, laborare intestino pudore, & affectuum litigiis, omnia denique jucunda atque injucunda eâdem acerbi-

tate amare ſcere. Fuit, cum vagitibus & infantia auſpicatus hoc ævum incertas primum notas edidit bonæ frugis: qvod ex honeſtiſſimis qvandoqve natalibus degeneres & indigni origine proveniant. Hanc ſolicitudinem annus facile unus aut alter diſcuſſit. Mox pueritia cum optimæ indolis argumentis effloruit. Ibi metus ingruere, ne diuturnum non eſſet, quod præcox nimis videretur. Donec juventutis præceps in medium ſenſim ævum devolutum eſt. Inde aſcenſus in ſenectutem patuit. Qvæ etſi ſapientiſſima ætatum, ſola ex omnibus maximam nobis injuriam fecit. Ita fallunt & decipiunt nos vota noſtra, morando, blandiendo, delectando ſemet ipſa conſumunt, & fuiſſe nos felices, facillime perſvademur; eſſe nunqvam credimus. Recognoſcere itaq; priores annos, & ſingulorum exqvirere progreſſus, nihil ferè aliud videtur, qvam anſam quærere exprobrandi nobis deſidiam, qui plerique inter ſpem & metum anxii conſeneſcamus. Niſi quod juxta hoc unicum omnis jacturæ ſolatium eſt, fugitivæ felicitatis imaginem quandam reducere. Quæ etſi diſtrahit animum cupiditate & deſideriis, juvat tamen amica illa conſuetudo adumbrata denuò, & ante oculos velut poſita. Quisquis igitur aut dolere nobiſcum volueris, uno die exſtincta eſſe quæ in BARTHIO & mirati ſumus, & amplexi, aut nunc etiam magni facere omnia, ecce tibi Virum narramus generis claritudine, ſapientiæ profeſſione, vitæ innocentia omnibus facile parem niſi majorem. Nobilitatem ab Avis acceperat; non nudam illam & inanem, quam ex fumo fituque nonnulli eruunt & vetuſtate potius quàm virtute metiuntur. Tametſi & illa contigerat antiqua atq; inclita; & quæ heroes ſuos ex ordine poſſit exponere ab aliqvot ſeculis repetitos, niſi ipſe ejus ortus avitam ferè gloriam obſcuraſſet. Ut ſolum Parentem non taceamus quem pietas fileri non patitur; quis clarior nobiliorque extitit in aula Sereniſſimi tum Electoris Brandeb. JANI GEORGII, CAROLO BARTHIO? qui tanto Principi à conſiliis & ſecretis eſſe maluit, ſcientiſſimus novi & antiqui juris, quàm inter ſplendida nomina delitescere, qvorum dignitas quàm utilitas major eſſe ſolet.

Huic

Digitized by Google

Huic uxor cum eſſet, nobiliſsimo item ſangvine edita, cæterum fœmineatum virrutum qvoddam exemplum, mirum non eſt, ſi Heroëm noſtrum dignum ſui exiſtimatione filium genuerunt. Amor enim conjugum mutuus ardensq;, & parilium virtutum conſpiratione firmatus, ſobolem plerunq: creat non longe a parentum natura abeuntem. Ipſa jam infantia ſolito lepidior gratiorq; fuit. Mox puer vultu moribusqve vivos parentes repræſentavit. Nihil jam tum balbutire aut humile, aut plebejum: è ludicris etiam gravitatem qvandam, è ſermone comitatem ſpirare. Ad qvam naturæ benigniratem cùm educatio qvoqve accesſit, apparuit demùm, qvantum monenti bona indoles ad ulteriorem vitam afferret. Cereus facilisq; in qvamcunq; partem flectebat docilem animum, ſine tormento, ſine tædio admitrens diſciplinam, qvam plurimi velut auſteram acerbamq; refugiunt. Nec tamen in formando ejus ingenio cujusvis ludi-Magiſtri conducta opera ſudavit; circumſpecto Patre & providente, ne qvem ſordidum ei præficeret, aut imperitum. In moribus ſi qvod vitium eſſet, hos qvoq; ſcientiæ anteferebat, & puriſsimos atqve integerrimos optabat. Qvid nunc de ardore illo primo dicam diſcendi atqve cognoſcendi, qvæ ſemel deguſtâſſet? Nihil illi arduum, nihil difficile viſum eſt, qvod qvis diſcere unqvam potuerat, ipſi libuerat. Puer loqvi, & ſcribere ultra ætatis ejus morem exactè & cum judicio, memoriæ ſpecimina edere miranda & ſtupenda, omnia teneris illis annis antevertere. Sed ut humaniores illi literæ placebant ante omnia, amantes otii, & experres omnium rurbarum: ita odiſſe jam cæperat umbraticorum qvorundam ineptias. Adoleſcens agebat juveniliter, corpus animumqve oblectans arte palæſtrica & aliis ejusmodi exercitiis. Qvemadmodum enim aqva ſi nullis motibus excitetur, fætidos halare ſpiritus incipit; ſic prima illa ætas ſedata nimis & immota perdit generoſos ſpiritus, qvos Natura pulcherrimarum virtutum ſtimulos inſeruit. Audire meminimus à ſuperſtite, nunqvam excanduiſſe ipſum acerbiùs, qvàm ubi Scholaſticorum qvibusdam inviſis moribus patientia fuiſſet præſtanda. Qvod incomparabili item Heroi Joſepho Scaligero uſu venit. Cujus cùm bilis mitiſsima nihil non concoqveret, ſolum illum um-

bræ ſcholæqve guſtum tolerare non potuit. Multum enim differt, ſectemur illa ſtudia, qvæ à ſtrepitu publico remota ſunt, & ſecreta qvadam jucunditate permulcent animum, ambitioni alienum, an veræ humanitatis contemptores cœtus hominum fugiamus & nobis tantum Muſisque noſtris operemur. Mollienda conſvetudo vitæ illis literarum blanditiis, nec ſolitarium quicquam in publicum afferendum. Comitas & jocorum facetiarumqve larga copia ex hoc primum fonte manavit. Nemo olim urbanior, nemo Regibus atque Principibus aptior viſus eſt, qvàm qvi literas iſtas hauſiſſet. Qvorundam deinde odioſis moribus infamatum illarum nomen, & univerſam penè literatorum gentem communi maculâ aſperſit. Tanquam non fuerint unquam, aut non hodie ſuperſint, qui cum ſe totos dedidiſſent bonæ menti, ſtudiisque liberalibus, toga quoque ſagoqve enituerint. Modus reqviritur, & verſatilis ſine crimine animus, ut ſcias te interdum in ſeceſſum aliquem componere. Ibi laxes atque remittas ſerias cogitationes, totus denique immerſus in ſvaviſsimos latices, proluas largis hauſtibus totam mentem. Mox denuò tui compos liber appareas, prudenterqve vivas potius, quàm loqvaris, nihil in communem vitam afferens quod prodeſſe minùs poſsit, quàm delectare. Indignum putabat BARTHIUS, cui natura faviſſet præ cæteris, eum non excedere vulgares limites, & contentum exemplis popularium frangere ingenii impetum, nec ſupra illos eniti. Quot enim Nobilium luxu & laſcivia, qvot præpoſtero tumore & faſtu in transverſum aguntur? Quibusdam etiam impensè quæritur ignorantiæ affectatio, ut literas non neſcire ſolum velint videri, ſed & ſpernere. Hinc paſſim videas, etiam qvos olim juverit ætatem literis oblectare, ubi paululum potentiores evaſerint, malo urgeri pudore honeſtiſsimi qvondam inſtituti, eruditionis ruſticum nomen faſtidire. Alii ruris & inficetiarum pleni agrorum ſpatia metiri, prædiorum commoditates ordinare, ferarum cubilia indagare, regium demùm laborem autumant. Qvam diſſimilis iſtorum noſter, nihil tanto-

pere

pere æstimavit, qvin literarum gloriâ inclarescere præoptaret! Supererant eâ tempestate summi Clarissimiqve Viri, qvorum ingenio atq; providentiæ referendum est, qvod vindicatæ ab interitu literæ novarum tenebrarũ insidiis non sunt interceptæ. Magni illius Julii par aut major filius, Josephus Scaliger; Elegantiarum omnium & Eruditionum arbiter, Justus Lipsius; Græcæ Latinæq; literaturæ felicissimus instaurator, Isaacus Casaubonus; omniũ ingeniorũ æmulator, Daniel Heinsius; Juris nostri meritissim⁹ interpres, Dionysius Godofredus; librorum plerorumq; omniũ communis censor, Janus Gruterus. Horum alios literis jam tum adolescens compellavit, alios adiit ipse atq; invisit, alios necessitudinis sibi vinculo arctissime copulatos habuit. Ac Scaligerum quidẽ laudavit publicè, & Panegyrico cohonestavit. Nec modicè adolescentis cordatos ausus suspexit tantus heros, ut divinationis instar excidisse illi vocem compertũ sit; natum esse adhuc unũ æternitati ingenium, quod si ad maturitatem perveniret literas adhuc aliquandiu posse vivere. Casauboni verò manum vidimus, & super Juvenalis quibusdã locis submissa illi judicia. Dionysii Godofredi convictor satis diu, etiam Grutero innotuit; à qvo utroq; cũ amicitiæ egregios fructus perciperet, maximè Palatina illi Bibliotheca patuit Gruteri auspiciis, adeo non invidiosi, ut jus suum libertatemq; omnem ferè cum illo partiretur. Hoc modò plurimos sibi devinctos reddidit, summos ex eruditorum numero viros, quorum candidis paulatim suffragiis, & ipse inter doctos nomen consequi occepit. Si primos illos ingenii fœtus indicare velim non laudare, jam tum prodigus sim otii, qvod angustum mihi ad dicendum datum est: si divina omnia monumenta, quæ orbi reliqvit percensere, ex oratione volumen fecero, non librum. Reservanda hæc illius curæ, qvi de vita scriptisq; BARTHII commentarium scribere voluerit. Tametsi qvid aliud sunt libri, qvàm præcones quidam & indices ipsius vitæ? Ut enim ex ungue leonem noscimus; sic hominem facilè ex sermonibus; qvos si vel ore proferamus, aura ventoq; sonum rapiente, colorem tamen qvendam nostri præferimus, & virtutes æquè ac vitia intimamus. At cum toto orbe colloqui, & in universum mittere animi sensa, hoc

demum eſt, nihil ſui abſtruſum velle, & eâ niti conſcientia, qvæ neminis judicium refugiat. Grandis & ſolidæ fiduciæ argumentum, non formidare publicas cenſuras, tot lynceos oculos ſubire, tot acutas aures; imperitiſsimo qvoq; plurimum ſibi permittente. Scripſiſſe plura, quàm alius quisquã legerit, Varronis elogiũ eſt, verè de noſtro dicendũ. Nondum ætatis annum decimum octavum compleverat, cũ recenſere Claudianum, & illuſtrare animadverſionibus auſus eſt. Cumq; deterrere ab inſtituto adoleſcentem poſſent, tot doctiſsimorum virorũ conatus, qui laborem ejus præceperant, ſtetit tamen apud ipſos ſua laude, favoremq; non invidiã ſibi quæſivit. Fridericum Taubmannum Witebergæ coluit. Is tantopere delectari ejus ingenio, ut nihil non indulgeret audenti. Certare interdum carmine invicẽ, difficillima qvæqve æmulari, diverſas ætates literarum ſimilitudine conjungere. Jambum ſpiritu plenum vibraverat noſter, quo Famæ propitium ſibi favorem exorabat. Hunc ita mirari magnus ille literator, ut nihil in ſe virium eſſe aſſeruerit, qveîs colorem illum & vim & impetum exprimeret. Diſſertationem vero de Latinis ſcriptoribus ſupra ætatem accuratam ita amplexus eſt, ut publico cum encomio ipſe inter ſcripta ſua ediderit. Qvo loco tam pertinax illum induſtria habuit, ut per biduum ſæpè triduumque exiguo victu inediam evitaret, attentus unicè ad ſtudia, qvæ ut eò provecta ſint, non parum effecit tenor ille animi conſtituto conſtanter hærentis. Nec enim eorum eadem felicitas, qvi otii quandoque tædio ad literarum portum confugiunt, ibi fractã voluptatibus mentem refecturi. Potiſsima vis in vigore eſt; qui à vitio tutus eſſe non poteſt, ſi quocunque modo vivamus, ſed innocentia maxime & frugalitate acuitur. Qvamquam non eâ indole erat, ut coætaneorum cœtus fugeret, moresqve hilares averſaretur; ſi qvi absque honeſtatis detrimento cadere in ætatem illam floridam poſſent. Sæpè inter convictores lætos ipſe lætior indulgebat nonnihil genio, & potiuncula abſtergebat animum, non mergebat. Quicquid denique iis annis unicè decet, ſeqventes non item commendat, id ſibi quoque vindicare, & nihil adeò fugere, qvàm provectiorum ætatum invidiam. Ita prudentiam jam tum am-

amplecti, & præparare pectus olim adversis, adolescenti tamen similis impetus præferre, & calorem. Qva moderatione usus, etsi non sine custode salutis & Ephoro hinc inde iter faceret, Belgas, Gallos, Italosq; inviseret, nunqvam ita Magistro opus habuit, qvin ipse sibi optimus moderator extiterit. Literatorum ubiq; comes rimari arcana omnia, excutere Bibliothecas, adnotare, describere, commentari; quæ deinde ubi certiori sede vitam composuit maxima denuo copia prodidit. In Belgis cùm viveret, potissimum sibi Lugdunum elegerat, inclitam illam bonarum artium nutricem. Ibi in familiaritatem Danielis Heinsii perductus, Petrum qvoq; Scriverum cognovit. Inter hos freqvens nihil adeo sui venditare & eruditionem augere potius qvàm ostentare. Alter enim illorum pronior æmulationi permoverat, ut ingenii sui vires arctare potiùs & premere qvàm exserere consultum arbitraretur. Qvæ enim inter fœminas formæ venustatisq; contentio viget, eadem sæpe inter literatos eruditionis æmulatio visitur. Tamen emicabant qvotidiè non proletariæ eruditionis argumenta, ut quisq; posset intelligere, & quàm doctus esset, & qvàm videri minimè optaret. Prudens dissimulationis genus, & invidiæ tutissimum remedium; quæ optimum quemq; inter exteros fugillat, tanqvam in partem venientem opinionis famæq;, quam quisq; sibi populus vernaculam fingit, nec aliis regionibus communem. Diu Germanorum gloria armis stetit, & virium indomitarum ferocia. Mitior paulatim ætas succesit, productisq; ad nominis celebritatem ingeniis hac qvoq; benignitate Naturæ solum nostrum commendavit. BARTHIUS inter omnes vivere; Belgas, Gallos Italosque suis omnes dotibus censere; ut cunctorum quidem mores inspiceret, quibusdam adsvescceret, alios fugeret: Cæterum ut inceperat innocentis vitæ regulam seqvi, ita idem sibi semper exemplum maneret. Summa ejus delectatio in carmine, velut compendio omnis eruditionis. Hoc interdum ludere, indignari, arguere; miscere etiam vitæ præcepta, & virtutes animis non sentientibus inserere. Nec

generosior libertas, qvàm impune sub poëtico schemate omnes colores induere. Amantium interdum gaudia, lacrumas, astutias fingere, impotentium divitum sordes, gemitus, miseritudines, esuritiones, perjuria confodere, affectum in benevolos aperire, in malignos odium atq; indignationem: omnem deniq; vitam & humana qvæcunqve molimina dijudicare. Nihil Epigrammatis lepidius, acrius, doctius, qvorum triginta libros sub Tarræi Hebii nomine edidit, Jacobo I. Angliarum Regi inscriptos. Ut ibi satis fellisq; distincta copia! ut amat & æstimat dignos, ut insultat scurris & maledicis obtrectatoribus, ut invidiam odiumqve contemptor irridet, ut ex omnibus vitæ actionibus facile elicit aut decorum aliquid, aut ridiculum aut facetum. Libri qvos NEMORALIUM appellat, ab ipsis tantum non Gratiis scripti videntur, ita nullis lenociniis aut qvæsita venustate esse commendant. Ut præteream alios ejusmodi fœtus cum plerisque scriptis, quæ recensere etiam longum nimis foret. Qvorum nonnulla primo fervore juventutis edidit, alia maturatiore judicio emisit, qvædam extremo etiam senio aut dedit jam nobis, aut daturus est. Postqvam enim juventutis munia circumivit qvodammodo vaga oratio, ad cæteras qvoq; ætates veniam. Et ut suus quemqve annum labor excipit, eodemqve finitur & mutat; Sic & vices illæ BARTHIUM nostrum exercuerunt. Lubens peregrè vivebat; exterorum mores perspectos sibi reddere, decorum æstimabat, sine contemptu tamen patriæ. Cujus amorem etsi splendidæ conditiones excutere illi poterant; impium putavit exuere affectum illum, quē fortissimo cuiq; Natura insinuavit. Peregrinationum enim ab usu laus inclaruit, qui nullus relinqvitur, illæ si perpetuæ sint, & cum ipsa velut vita contendant. Ideo certè inter alios vivimus, ut nobis aliquando & Reipubl. vivamus; Aliorum vitia virtutesqve contemplamur, ut ipsi quàm honestissimè agentes, juvemus plurimos optimis exemplis, neminem malis corrumpamus. Post utilissima itaque itinera redux in patriam, cogitabat de qviete; si ea dari poterat inter armorum strepitus, undi-

qve

qve insonantium. Invenit tamen in tranqvillo & sedato animo; qvem nec ambitio obsederat, nec aliæ id genus intemperies efferârant. Suus semper nec ulli mancipatus cupiditati circumspiciebat vitæ genus qvod amplecteretur, iis dignum studiis qvæ semper amaverat. Aulæ enim se crederet & auræ Magnatum? Gratiosissimos viderat deturbatos è potentiæ fastigio vix insvetam humilitatem impune amplexos esse. Foro se committeret civibus jura dicturus? Naturæ obstabat ratio minime ad ambitum vergens. Ad qvam cum otii qvædam dulcedo accesit, laudabilis inqvam illius, & à desidia longissimè remoti, nihil magis quam privata omnia optabat. Qvin portum ut attingeret facillimè primus amor facem prætulit. Cum bis ictus legitimis cupidinis telis, toties iteravit matrimoniũ. Atq; altera qvidẽ conjugũ illiberis obiit, svavissima recordatione desiderata, altera supervixit defuncto, quatuorq; puerperiis dulcissimũ patris nomen acqvisivit. Medio horum temporũ studiis demũ consecrans se totũ atq; dedicans, immortalitatis iter ingressus est. Hinc scribere seriò incepit, qvæ victura & perennatura videbantur. Et cum nunqvam remisisset manum, nunc intenderat omnes ingenii nervos, ad famam nomenq; posteris relinqvendum. Genus est scriptionis liberum, nec antiqvis olim ignoratum, carptim & sine ordine persequens, si qvid nota aut animadversione dignum, si qvid vitæ & sapientiæ præceptis accommodũ, si quid ritibus illustrandis, & paudendæ antiquitati aptum occurrat. Hoc amplecti inprimis, & præter innumera commentaria, quibus Græcos Latinosq; scriptores illustravit, opus perficere omnibus ingeniis desperandum. Adversaria opinor, quorum volumen quidem unum sexaginta libris absolutum perfectissima ætate promulgavit. Centum verò & viginti ut desiderat orbis literatus, ita cum acceperit, majore etiam plausu prosequetur. Lipsia illi tranquillissimus literarum portus fuit. Hìc in secessu turbas fugiens & populares strepitus, otio studiisq; insenuit. Interdum rus eligere, & libera agrorũ spatia, eo Bibliothecã transferre & egregiũ aliquid elucubrare. Mox redux cõsveto hospitio gloriam suam reddere, Musarumq; secũ sedẽ transportare

Nec toleranda illorum opinio, qvi genus ſtudiorum leve & otioſum interpretantur, qvod ille citra ambitionem amplexus eſt, qvorum reſpondere invidiæ tametſi noſtrum non eſt, docendi tamen ſunt, qvàm ille procul ab omni ſemper vilitate effugerit. Nemo è Theologorum præcipuis, nemo è Juris-Conſultorum principibus ignotus illi manſit, aut non quam diligentiſsime lectus eſt. Sanctisſimos Eccleſiæ Patres Græcos juxta & Latinos ita volverat aſsidue, ita tenebat exacte, ut qvicqvid aut dubiæ religionis aut ambigui ritus occurreret, facillime ex ipſorum ſcriptis decideret. Cujus ſeu pietatis ſeu eruditionis egregium dedit ſpecimen, cum SOLILOQVIORUM triginta libros conformi antiquis Patribus ſtilo peregit. Qvã generoſus in illis & cœleſtis zelus eſt! qvàm intenta & Deo ipſi imminens devotio! qvàm arduus humanarum rerum contemptor animus elucet? Huc eant maligni ejus obtrectatores, & de pietate ſenſuque illibatæ religionis cognoſcant. Hos Hemiplecticus etiam cotidie revolvere & per veſtigia priorum meditationum denuo cogitationes ſuas cœlo immittere. Jamq; nihil magis placebat è tot artium atque diſciplinarum numero, quàm ſapientia illa cœleſtis; cujus tyro ſemper ſibi viſus fuit, dum conflictandum eſſet cum hac mortalitate. O quoties cœleſtia ſuſpirantem audire meminimus inter dolores; qui nunquam fuerunt tam intenſi, qvin major ille eſſet, quod inter hujus vitæ ſordes & anguſtias ſpiritus ille liber & memor originis afflictus ipſe non poſſet evolare ad piorum illa domicilia, ubi tranquillitate & quiete totus perfrueretur. Veniam enim beatiſsima anima ad ætatis tuæ ſummam, & tametſi refugit animus, horretqve, extremùm aut reficiam mentem memoriâ dulciſsimæ conſvetudinis, aut luctu lacrymisque æternum mergam. O beatum illum diem, qui tota mihi vita candidiſsimus illuxit tuæ amicitiæ princeps author! aterrimum verò & deteſtabilem atque in viſum, qvi divellere hunc nexum auſus eſt, felicitatis meæ hoſtis! Fato eqvidem ſemper imputavi qvod primus ad te aditus mihi patuit; tamen eodem mihi idem

ſub-

ſubreptus es,& aut nunquam eſſe tam felix debui, aut certè diutius eſſe. Etiam enim ſine novo animi vulnere memoria repetam conſuetudinis olim noſtræ faciem? cum partiti ex arbitrio otium,aliquid lectioni, aliquid colloquiis, aliquid quieti daremus,nemine interpellante niſi morbo; qui aſſueverat tamen ingenio tuo ſeſe ſubmittere; qvod igneum & cœleſte minimè omnium impediri poterat.Qvanta & qvàm exqviſita illa ſvavitas erat ex ore illo mellifluo, nihil publici ſaporis, ſed omnia ex ipſius ſapientiæ penu deprompta haurire atque imbibere. Hoc erat cum ſapientia loqvi. Quod etſi per jocum de nonnullis dictum oſtentatoribus pallii barbæque,de te ſummo jure affirmari poterat, ut qui ex te aliquid ſciſcitaretur,non doctum aliquem è trivio, ſed verò doctrinæ quoddam oraculum conſuleret. Summa quædam humanæ vitæ beatitas,exemptum ignorantiæ tenebris viſere in aperto

Edita doctrinæ ſapientum templa ſerena.

Mirari licebat mihi & è longinquo intueri. Tu verò toto pectore atque animo omnem illum apparatum concluſeras. Penè à me exiveram, cum tu vaſtum eruditionis ambitum celeri cuniculo ſæpius ambires, & in promptu haberes omnia, quæ aut illuſtrare humanam mentem aut erudire vitam poſſent.Si quid Plato,ſi quid Xenophon è Socraticis fontibus hauſerant; & tu imbiberas. Epictetus atque Seneca beatam olim vitam quæſiverunt; tu inveniſti. Plutarchus cum æmulatore Plinio curioſus omnia Naturæ,omnia Hiſtoriæ miracula complexus eſt; nemo utrumque familiarius legerat. Thucydides atque Saluſtius aſtricta brevitate multum artis involverunt; nihil tibi abſtruſum manſit. Livius mero abundans lacte, copia & ubertate regnavit; in ſinu is tuo ſemper fuerat: citra ingenii tui obtrectationē cui nihil facilius erat,qvàm verba inveniſſe. Demoſthenis & Ciceronis facundia cum tot infelices imitatores habuerit, ſoli tibi uterq; ſecundas aperuit. De ipſis literarum deliciis ſi dicendum, quæ unquam illecebroſior excogitari jucunditas potuit, quàm tecum amœna illa Muſarum vireta libere pervagari? Ibi incruentas Homeri pugnas ſpectare, Aratum

tum ſequi cœlum ipſum & ſidera pandentem, Dionyſium per terras & maria ſpeculatorem comitari. Inde Æſchyli Thyrſum Sophoclis cothurno componere, Euripidem in Scena contemplari, Pindari hauſtus expalleſcere. Mox cum Luciano, Petronio, Horatio, Juvenale, Perſio ridere atque indignari. Theocritum ruſticantem, Anacreontem bibentem, Catullum ſvaviantem, Tibullum ad Dominæ fores conviciantem, Propertium amore pereuntem, Ovidium infeliciter exulantem, Plautum jocos atque amœnitates miſcentem, intueri. Hæc demum innocens quædam lætitia, optimarum ſemper mentium comes, te qvoque ſæpius habebat. Certè ego cum viderem iſta, cum audirem, imbui mihi videbar aliqvo divinitatis ſenſu, & ſupra mortalitatem ſtare. Qvæ enim me tædia ex amplexu tuo abſtuliſſent, cum pendulus ab orè illo entheo mero qvodam nectare paſcerer, atque inebriarer? Cum inter dolores etiam & ſenectutis gravedines jocari tamen allubeſceret tibi, nec minus liceret. Modo narrares aliquid è juventute tua lepidum, modo de prioribus annis tragicum; modo ſtimulos adderes, modo fibulam injiceres, ſummam comitatem gravitate quadam temperares. Atque ego ſolo ſemper obſeqvio favorem tuum ambire potui; Tu illum ingentibus etiam donis gratuitum cumulâſti; donec obrutus beneficiorum multitudine dignas nunquam gratias agere potuit. Quam ſolam mihi relictam video facultatem, ea in triſtiſſimis quibusque verſatur: ut cum exceſſiſti ex hac vitâ, ingenti cum dolore noſtro, quotidie luctum illum renovem, & cum nominis tui perennitate exigam. Tu reddidiſti animam cœlo (nec enim pluribus meminiſſe obitus tui præ dolore poſſum) & modo inter puriſſimos quosque ſpiritus ineffabili lætitia ovans liberrimè verſaris, Nos inter imminentium malorum minas, inter dubios rerum eventus, quicquid vitæ ſupereſt, non degimus ſed maceramus. Salve æternum Nomen dulciſſimum, & quod tua tibi Fata pridem indulgent, immemor prioris ævi cœleſtium gaudiorum fidem exige. Nemo jam felicitati tuæ invidebit, nemo virus maledicum aſperget, nemo æternitatem adimet. Et inter nos quidem juxta perennabis; dum literis & literatoribus honos ſupererit, dum intelligere

ligere qvisqvam & judicare poterit, qvantum tu decus, qvantus honor ſeculo noſtro fueris. Qvod ſi & ipſum ingratum futurum eſt, ætas veniet, ſi ulla ſuper ventura eſt, qvæ exterminato demum livore, mercedem tibi tuam, laudemqve perſolvat. Cæterùm ego Te tuaq; merita in hoc pectus recepta perpetuò cuſtodiam, & una demum hora, momentum unum & abolebit memoriam Tui ex hoc animo, & eandem tibi æternitatis communione aſſociabit.

DIXI.

ME qvoqve ſollicitat pietatis debitus ardor,
Juſtaque BARTHIADAE præmia ferre jubet.
Præmia defuncti virtutibus inclita fama
Exhibet, & furvis vindicat à tenebris.
Vidimus Heroëm PAULINI in ſede beata
Adverſus belli compoſitum ſtrepitus,
Æternum meditari aliqvid, quod nunc ſtupet Orbis,
Affuimus Menſæ pars qvotacunqve ſimul.
Tunc mihi divinæ patuêre oracula mentis
Et dulce eloqvium, colloqviumq; grave.
Affuimus, ſacris cùm mens devota caleret,
Audimus ſanctas entheo ab ore preces.
Talibus aſſveti vitam tranſegimus almam.
à ſtrepitu, & qvâvis ambitione procul.
Atq; utinam ſupereſſet adhuc venerabilis Heros,
Ille mei cordis portio melliflua!
Nunc fidis cæpi paulatim orbatus amicis
Vix qvoqve Patronum cernere, qvi faveat.
Ferrea ſecla ruunt tribuitq; ea livor inerti,
Qvæ benè promeritis fas foret attribui.
Gratia cluſa mihi eſt, Divini juris alumnos
Qvæ qvondam pleno eſt ſveta beare ſinu.
Trita juventa abiit, ſuccedens barba virilis
Admonet annorum, quam citò prætereant.
Firma tamen ſtat mens, animo conſtanter inhærens,
Non iter inſtabili deſtituiſſe pede:

Si

Si modò cordatos mihi tandem aliqvando Patronos
Contingat fortem pòrgere ritè manum!
Sed mihi nunc BARTHI PIETAS ET GLORIA cordi eſt,
Et qvicqvam officii ſi tribuiſſe qveam.
Pagina docta LAGI multo id molimine præſtat:
Sit ſatis, ingratus nî modo dicar ego.
Hic nam Lector habes, qvæ dios ſiſtere Manes
Poſsint, & vultus aſsimilare animi.
Noſtra tibi eſt operata manus ſtudiumqve operamqve
Ut legeres iſtæc, prebuit aucta typis.
Conſule cuncta boni, atqve Heroëm pectore functum
Cuſtodi, nobis inſimul es facilis.

In honorem memoriamq; beatiſſ. Herois Caſparis Barthi S.R.J. Eq. & Paulini Collegii per annos XVIII. inhabitatoris, Anno M. DC. LVIII. Septembris d. XVII. piè defuncti adpo. l. mq.

M. Gottfried Cernitz, S. Th. St. Paulini
Lipſ. h. t. Curator.

Propter abſentiam Autoris, qvæ irrepsêre Sphalmata, ut pro humanitate ſua aut corrigat Lector Benevolus, aut excuſata habeat, Typographus rogat.

-1060.23
I.